



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

VII. ejusque morte;

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Ebraei proceres, Thalmudici conditores operis, nec teterrimi Christi adversarii infatiati sunt, Celsus, & Julianus, quorum ille, cum rem negare non posset, falsam rei causam commentus est, incantamenta scilicet & praestigias, hic rem non negat, sed verbis elevare studet. Profligatam à Jesu, & coercitam vim Daemonum queritur Porphyrius; ubi non mirum esse ait peste urbes vastari, unde Aesculapius, alique Dii excellērent; quippe post admissum Jesu cultum nihil Deos hominibus vulgo prodesse.

VII. Mortem vero Christi quod attinet, tot eam monumentis, tam clavis & insignibus consignatam reperies; nihil ut certius & manifestius memoria vetus tradiderit. Commemorabilis in eam rem Taciti testificatio, qua cum à Nerone Christianos exquisitis affectos supplicis dixisset, hæc addit: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Hinc Christus, ἀνοσο-λογομαχος, à Græcis appellatur: à Judæis vero usitato nomine, תלי, *Suspensus*; & Christiani, עובדי תלי. *Cultores Suspensi.* Et in Thalmudico libro Sanhedrin legitur: בערב, פסח תלאוהו לישן. *In vespera Paschatis suspenderunt Jesum.*

VIII. Mirabilis illa Solis defectio, & ingens terræ motus, quæ moriente Christo contigerunt, itidem narratur à Phlegonte illo supra laudato, libro Olympico-Chronicorum decimo tertio: *τῷ δ' ἔπει τὸ σὲ ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἐκλειψίς ἡλίου, μάλιστα τῆ ἐγνωσεσθῆσαν φερέσων, καὶ νύξ ὄρα εὐκίμας ἐγένετο, ὡς καὶ ἀστέρων ἐξαπὸ φαίνων. σεισμός τε μέγας καὶ ἐθνωσίαν ἡρώδης τὰ πολλὰ νικίας καταπέσειαν.* Quæ sic vertit Hieronymus: *Quarto autem anno cccii Olympiadis (is est scilicet Tiberii decimus octavus, qui annus Christo emortalis fuit) magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stella in celo vise sint, terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ades subverterit.* Atque hæc ipsa in aliis Ethnicorum commentariis reperiri testatur in Chronicis Eusebii; testantur & alii. Quos inter præcipua est Thalli auctoritas, quem libro Historiarum suarum tertio eandem Eclipsim memorasse prodidit insignis temporum metator Africanus. Eandem autem notari & in Evangelistis, & in Phlegonte historiam tria ostendunt potissimum; quod in eundem annum utraque incidat, annum nempe Tiberii decimum octavum; quod eadem diei hora contigerit utraque, sexta nimirum; & quod insignis terræ motus utriusque admirabilitatem vehementer auxerit. Merito itaque Christianorum causam apud Ethnicos agens in Apologetico Tertullianus, miraculi hujus testes citat tabularia ipsorum & publica instrumenta, sive quæ à Recto-ribus Provinciarum, sive quæ ex instituto Cæsaris conficiebantur, in quæ diurna referebantur Acta Populi & Senatus. *Eodem momento, inquit, dies medium orbem signante Sole subducta est: deliquium putaverunt qui id quoque super Christo prædicatum non sciunt; & tamen cum mundi casum relatum in Archivis vestris habeatis.* Archiva eadem jam ante Nicomedæ coram Præside citaverat Lucianus Antiochenus martyr, cum diceret: *Consulite Annales vestros, invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum Solem, & interruptum diem.* Hoc Annalium nomine Acta publica sæpe notantur apud Historie Augustæ Scriptores. Accuratissima vero & attentissima observatione dignum est, quod habet nupera Sinensis Historia Hadriani Gressonii, adnotasse Sinas in rerum suarum monumentis, ad id tempus, in quod annum ætatis Christi tricesimum secundum nos Christiani conferimus, circa mensem Aprilem, solare deliquium præter ordinem naturæ & leges curricula Astrorum præfixas contigisse: qua rei novitate Quamvutium Imperatorem vehementer fuisse commotum.

IX. Factum itaque est imprudenter à Kepplero, viro alioqui candido, & Astronomica artis peritissimo, & contra ac Christianum hominem decuit, cum memoratam illam à Phlegonte Solis Eclipsim in annum secundum rejecit Olympiadis cccii, diem vero Novembris mensis vicesimum quartum. Nihilo magis ferri potest Gerardi Vossii, optimi itidem viri & eruditissimi ratio, cum aliam à Phlegonte notari vult Eclipsim, quam quæ in Evangelis descripta est. Cujus opinionis has causas affert. Phlegon, inquit, hanc Eclipsim pro naturali habuit. Unde id collegerit, non addit. At deceptum eum, perinde ut alios eximie eruditionis viros, verisimile est vocabulo Eclipsis, quod naturalem duntaxat sideris defectum significare rati sunt. Id quantum à vera ratione repulsum sit mox ostendero. Scripsit quidem Origenes non adnotasse Phlegontem plenilunio casum hunc contigisse. At neque interlunio factum id adnotavit. Quare rem in medio reliquit. At longe aliter verba Phlegontis interpretatus est Africanus: φλέγων, inquit, ἰσοπέτῃ πῶς ἐξ ἐκείνων ἐν παντελείῳ ἐκλειψεν ἡλίου γερονέναι; *Narrat Phlegon imperante Tiberio Cæsare Solis Eclipsim plenilunio contigisse.* Hæc extant in Chronographia Georgii Syncelli, Philoponus quoque, libro secundo De mundi creatione, Phlegontis testimonium longe aliis conceptum verbis repræsentat ac Eusebiius. *τῷ τε σκότειε, inquit, μᾶλλον δὲ τὸ νυκτός ταύτης καὶ φλέγων ἐν τῷ ὀλυμπιάσαν ἐμνήσθη.*

Talm. Barr. 4. lib. 6. Abodat Elijam, cap. 1. Cels. apud Orig. contr. Cell. lib. 2. Julian. apud Cyrill. lib. 6. contr. Julian. ejusq; mortis

Tacit. Ann. libr. 15.

de Solis defectio, & terra motu, quæ moriente Jesu contigerunt.

Tertull. Apolog. cap. 21.

Refellantur nonnulli qui hanc Eclipsim, & eundem terra motum esse negant ea quæ à Phlegonte notata sunt. Keppl. in Eclips. Voss. Harm. Evang. lib. 2. cap. 10. Origen. in Matth.

